

etum extrahi possit. Quod locum habet etiam in plantis, et in animalibus, quae ex putri materia generari a quibusdam dicuntur. Nam, secundum ipsos, praeterquam quod harum substantiarum generatio non producitur a materia ob aliquam vim sibi propriam, sed ex determinata vi, quam Deus in creatione mundi materiae indidit, fit, determinatas circumstantias, et determinata loca et tempora expostulat; e. g., in Aegypto ex putri materia saepius generantur mures, et in nostro coelo vermes, et locustae<sup>1</sup>; et insuper determinatas materias, nam ex equi cadavere vespae, et ex cadavere bovis apes generantur. 2<sup>o</sup> Si theorema de convenientia quoad speciem inter generans, et generatum intelligi velit, verum non est, nisi his positis conditionibus, nempe quod agens 1<sup>o</sup> sit principale, non instrumentale<sup>2</sup>; sit proximum, non remotum, siquidem natura effectus pendet a causa proxima, a qua immediate promanat; 2<sup>o</sup> sit causa per se, non per accidens, quia « causa per accidens non est proportionata ad effectum, sed solum causa per se<sup>3</sup> ».

## D

## DISTINCTIONES

I. DATIO—MISSIO—PROCESSIO. Differentia inter has voces, prout in theologicis disciplinis adhibentur, ita ab Aquinate explicatur: « Processio, in quantum processio, dicit realem distinctionem et respectum ad principium, a quo procedit, et non ad aliquem terminum. Datio autem non importat distinctionem dati a principio, a quo datur, quia idem potest dare seipsum, sed tantum ab eo, cui datur. Sed missio ponit distinctionem in misso et ad principium, et ad terminum<sup>4</sup> ».

II. DATUM—DONUM. Docente s. Bonaventura, « quamvis in Divinis utrumque dicatur et *datum* et *donum*, tamen convenientius dicitur *donum*. Et huius duplex est ratio. Una

<sup>1</sup> Vid. Themist., *De An.*, lib. I, c. 24.

<sup>2</sup> *Contr. Gent.*, lib. III, c. 72.

<sup>3</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. XXI, q. I, a. 3 sol.

<sup>4</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XV, q. I, a. 1 sol.

quidem est, quia *datum*, cum sit participium, vel nomen verbale, concernit tempus: *donum* autem a tempore subtrahit; et ideo quia omnia Divina supra tempus sunt, convenientius dicitur in Divinis *donum*, quam *datum*. Alia ratio est, quia *donum* supra rationem *dati* addit conditionem liberalitatis, sive irredibilitatis, quae est conditio magnae nobilitatis; et ideo maxime competit Divinis<sup>1</sup> ».

III. DEBITUM EX MERITO—DEBITUM EX CONDITIONE NATURAE. Primum in eo positum est, ut talia operans talia consequatur. Alterum in eo, ut talis natura tales conditiones, vel proprietates expostulet; e. g., *debitum* est homini, habere rationem, et alia, quae ad humanam naturam pertinent. Qua in re illud obiter adnotamus quod docet s. Thomas<sup>2</sup>, neutro modo Deum creaturis *debitorem* dici posse, cum enim haec debita praesumant divinam ordinationem, sequitur, ut potius Deus sibi ipsi debitor sit, quatenus debitum est, ut divina ordinatio impleatur.

IV. DEFECTUS—MALUM—PECCATUM—CULPA. *Defectus* simplicem negationem alicuius boni significat. *Malum* autem significat privationem, seu defectum entitatis in re, quae illam naturaliter habere debet; e. g., « carentia vitae in lapide potest dici defectus, sed non malum; homini vero mors est et defectus, et malum<sup>3</sup> ». Hinc malum, quod vulgo dicitur *metaphysicum*, seu defectus omnimodae perfectionis in ente creato, non est proprie malum, quia quodlibet ens creatum perfectionem illam nedum expostulat, excludit. *Peccatum* consistit in operatione, « secundum quod non est directa, ut finis exigit; secundum quod Grammaticus non recte scribit, nec parat recte medicus potionem ». *Culpa* « super peccatum addit, ut sit voluntatis actus »; nam « peccatum est et in his, quae secundum naturam sunt, et in his, quae sunt secundum artem; sed culpa non potest esse, nisi in his, quae per voluntatem sunt; nihil enim rationem culpae obtinet, nisi quod vituperabile est, neque vituperium alicui debetur propter inordinatum actum, nisi ille actus suo dominio subiaceat; habere autem dominium super

<sup>1</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XVIII, a. I, q. 3 resol.

<sup>2</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. CXI, a. 1 ad 2; ibid. q. CXIV, a. 1 ad 3. Vid. etiam s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. XLIII, dub. 3.

<sup>3</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. XXX, q. I, a. 2 sol.



suos actus, ut scilicet possit facere, et non facere, voluntatis proprium est <sup>1</sup> ».

V. DEFINITIO NOMINIS—DEFINITIO REI. *Definitio rei* explicat ipsius rei naturam, eam in omnes partes essentiae resolvendo. Quare per hanc definitionem distincto conceptu rem cognoscimus, ita nempe, ut res, eiusque essentiae omnia elementa complectamur. Hinc, secundum s. Thomam, haec definitio existit, « quando intellectus concipit aliquam formam de re, quae per omnia ipsi rei respondet <sup>2</sup> ». *Definitio autem nominis* solum indicat vim nominis, quo res appellatur <sup>3</sup>. Quare per huiusmodi definitionem non nisi confuse natura rei cognoscitur, quatenus intelligitur esse quaedam res ab aliis distincta, et separata, quomodo rudes recipiunt res ipsas vocabulis expressas <sup>4</sup>.

VI. DEMONSTRATIO CIRCULARIS—CIRCULUS UNIFORMIS. *Demonstratio circularis*, seu *reciproca*, vel *circulus non conformis* fit 1<sup>o</sup> cum diversis argumentorum speciebus, altero nempe *a posteriori*, altero *a priori*, effectus per causam, et causa per effectum probatur; videlicet, cum ab effectu nobis noto progredimur ad causam latentem cognoscendam; deinde vero ab ea iam cognita regredimur ad effectum, eiusque rationem per causam detegimus, ut distinctiorem ipsius effectus cognitionem nobis comparemus. E. g., ex eo, quod creaturae existunt, colligimus existere Creatorem; deinde, Eius natura et perfectionibus attentius consideratis, comperimus rerum creaturarum existentiam, et ordinem ab illo dependere. Hinc huiusmodi demonstratio duobus argumentis constat, quorum primum *a posteriori* via est ad inveniendam causam; alterum *a priori* scientiam, nempe cognitionem distinctam et perfectam effectus nobis largitur, quatenus ex ipsa causa inventa, et aliis intellectus investigationibus perfectius cognoscimus ipsam causam, et per eam regredimur ad effectum scientificè intelligendum. Haec demonstrationis *cir-*

<sup>1</sup> *In lib. II Sent.*, loc. cit.; et *Dist. XXXV*, q. I, a. 1 *sol.*

<sup>2</sup> *Qq. dispp.*, de *Ver.*, q. II, a. 1 ad 9.

<sup>3</sup> Haec definitio, monente Clemente Alexandrino, maxime adhibenda est, « quando viderimus nomen duci in diversos usus; et perscrutandum est, an de significato dubitetur ex appellatione, an sit apud omnes extra controversiam »; *Strom.* lib. VIII, n. IV.

<sup>4</sup> Vid. Toledo, *Commentaria in universam Aristotelis Logicam*; *In Post. Anal.* lib. I, c. I, q. I.

*cularis* species proprie *regressus demonstrativus* appellatur. 2<sup>o</sup> *Demonstratio circularis*, quae proprie tali nomine vocari solet, fit cum ex propositione maiori, et propositione minori probatur conclusio; et rursum ex conclusione, et propositione minori conversa probatur propositio maior. E. g., primum probatur omnem hominem esse docilem, quia omnis homo est rationalis, hoc pacto: omne rationale est docile, atqui omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est docilis. Deinde omnem hominem esse rationalem, quia omnis homo est docilis, ita probatur: « Omnis homo est docilis; atqui omne rationale est homo; ergo omne rationale est docile. In priori argumento, ex *maiori*, Omne rationale est docile, et *minori* directa, Omnis homo est rationalis, probatur conclusio, Omnis homo est docilis. In altero, ex hac ipsa conclusione, et prioris argumenti *minori* conversa, nempe, omne rationale est homo, probatur *maior* eiusdem prioris argumenti, nempe, omne rationale est docile. Iam patet huiusmodi argumentationem esse vitiosam, si id, quod in priori argumento est principium, et in posteriori est conclusio, uno eodemque modo accipiatur. Nam, cum principium sit prius, et notius conclusione, sequeretur idem esse prius, et posterius, notius, et minus notum; scilicet, prius et notius, prout est principium; posterius et minus notum, prout est conclusio. Quocirca, ut recte adhibeatur haec argumentatio, oportet ut id, quod in priori argumento est conclusio, et in altero est principium, diverso modo accipiatur; puta si in conclusione prioris argumenti accipiatur uti minus notum *nobis*; in maiori alterius uti magis notum *natura sua*. Vel si sumantur uti magis et minus nota quoad diversos; nam, quemadmodum s. Thomas monuit, « probabilia dicuntur quae sunt magis nota vel sapientibus, vel pluribus; contingit autem idem esse magis et minus notum quoad diversos, et ideo nihil prohibet syllogismum dialecticum fieri *circularem* <sup>1</sup> ». Vel, si in priori argumento probari velit conclusionem esse veram; in altero autem esse vera principia, ex quibus fluit. Quae omnia significantur, cum docetur argumentationem *circularem* recte adhiberi non in eodem, sed in diverso genere causae.—*Cir-*

<sup>1</sup> *In lib. I Post.*, lect. VIII.



*culus* vero *formalis*, vel *uniformis* procedit per eandem demonstrationis formam ab eodem ad idem eodem modo acceptum. Quocirca fit, cum ex duobus, quae aequè dubia sumuntur, alterum per alterum probatur; ut si quis dicat, Socrates est homo, quia est rationalis; est rationalis, quia est homo.

VII. DEMONSTRATIO PROPTER QUID — QUIA. *Demonstratio quia* dicitur quae solum probat admittendam esse aliquam veritatem. *Demonstratio propter quid* investigat propriam causam, ob quam illa admittenda sit. Quocirca demonstratio *propter quid* causam proximam et adaequatam assumit; demonstratio autem *quia* vel ex effectibus proficiscitur, vel ex causis non immediatis et proximis, sed remotis, quae veritatis demonstrandae determinata radix non sunt; ut si quis probaret lapidem non respirare, quia non est animal, causam remotam redderet; nam causa proxima dicitur ex qua omni et sola procedit effectus; *non respirare* autem non de solo *non animali* praedicatur, cum aliqua sint animalia, quae non respirant. E contrario, quoniam causa propria *non respirandi* sit *non habere pulmonem*, demonstrationem *propter quid* conficeret, qui lapidem probaret *non respirare* eo quod, cum non sit animal, non habet pulmonem. Hinc omnis demonstratio *a posteriori* est *quia*, sed non e contrario. Nam demonstratio *quia* solum consistit in hoc, quod ostenditur veritas, non autem illius propria et immediata radix; iam dari aliquam veritatem potest aliquando ostendi per aliquid posterius, scilicet per effectum; aliquando per aliquid prius, scilicet per causam remotam. Quapropter non omnis demonstratio *quia* est *a posteriori*, idest ex effectu, sed aliquando fit per aliquid prius, scilicet per causam remotam. At vero omnis demonstratio *propter quid* semper est *a priori*, quia semper fit per causam, eamque proximam et immediatam.

VIII. DEPENDERE SIMPLICITER—SECUNDUM QUID. Primum idem valet, ac accipere ab alio essentialiter saltem numero diversam; e. g., Alexander pendet a Philippo. Hinc Verbum Divinum non pendet a Patre, est enim consubstantialia Patri, proindeque *genitum*, *non factum*. Alterum vero significat accipere accidens ab alio. Ita aer tantum *secundum quid* dependet a sole, a quo accipit lumen, unde non est effectus solis.

IX. DICERE AD—DICERE IN. Occurrunt hae voces, cum sermo est de relationibus. *Dicens ad* est relatio, prout respicit terminum. *Dicens in* appellatur relatio, prout est in subiecto. E. g., Paternitas in ipsa Persona Patris aeterni spectatur sub conceptu *in*; quatenus autem dicit ordinem ad Filium suum correlatum, spectatur sub conceptu *ad*. Ubi illud monere praestat, quod « in Deo non est aliud esse relationis, et esse essentiae, sed unum et idem ». Etenim, « quidquid in rebus creatis habet esse accidentale, secundum quod transfertur in Deum, habet esse substantiale; nihil enim est in Deo, ut accidens in subiecto, sed quidquid est in Deo, est Eius essentia. Sic igitur ex ea parte, qua relatio in rebus creatis habet esse accidentale in subiecto, relatio realiter existens in Deo habet esse essentiae Divinae, idem omnino Ei existens. In hoc vero, quod ad aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentiam, sed magis ad suum oppositum. Et sic manifestum est, quod relatio realiter existens in Deo est idem essentiae secundum rem, et non differt, nisi secundum intelligentiae rationem, prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiae <sup>1</sup> ».

X. DIFFERENTIA — DISTINCTA—DIVERSA. *Distincta* sunt quae *numerice* non sunt unum et idem. Hinc distinctio consistit in negatione identitatis. Varias sunt distinctionis species, quae alibi nobis explicandae erunt <sup>2</sup>. *Diversa*, quorum essentia in uno alia est, ac in alio, puta homo, et brutum sunt diversa, quatenus homo non est id, quod est brutum, et brutum non est id, quod est homo. *Differentia*, quae aliquid commune ita habent, ut in ipsis diversimode determinetur; e. g., homo et brutum *differre* dicuntur, quatenus animalitas in illo per *rationalitatem*, in isto per *irrationalitatem* determinatur. Hinc, ut docet s. Thomas, ea, quae differunt, in aliquo convenire debent, et per aliquid superadditum differunt; quae autem diversa sunt, non est absolute necesse, ut in aliquo conveniant <sup>3</sup>.

XI. DIFFERENTIA COMMUNIS—PROPRIA—MAXIME PROPRIA. *Differentia communis* est quae per accidens aliquod separabile discrimen facit; ut cum dicimus hunc ab illo dif-

<sup>1</sup> I, q. XXVIII, a. 2 c.—<sup>2</sup> Vid. *Formaliter—Realiter* etc., litt. F.

<sup>3</sup> I, q. III, a. 8 ad 3; *ibid.*, q. XC, a. 1 ad 3.



ferre, quod hic sedeat, ille stet. Atque hac differentia potest aliquis non solum ab alio, sed etiam a seipso differre, quoniam potest sui dissimilis esse; ut, qui nunc adolescens differt a seipso, cum antea in cunis vagiret. *Differentia propria* est, quae per accidens inseparabile discrimen facit et dissimilitudinem: ut corvus ab olore differt, quod hic albus, ille niger sit; nec potest nigredo seiungi a corvo, nec albedo a cygno. Differentia denique *maxime propria* est, quae efficit, ut res ab aliis differat ob aliquam proprietatem, quae illius essentiam ingreditur; uti *rationale* differentia est hominis *maxime propria*, quia essentiam hominis ingreditur. Haec differentia rem omnino *aliam* a ceteris facit, non item differentia *communis*, et *propria*, quae tantum rem sibi, aut aliis dissimilem, seu *alteram* efficiunt. « Alterum, inquit s. Thomas, importat diversitatem accidentis <sup>1</sup> ».

XII. DIFFERENTIA CONSTITUTIVA — DIVISIVA. Quaedam sunt alicuius generis differentiae *divisivae*, idest per quas genus dividitur; quaedam illius generis *constitutivae*, idest per quas genus illud constituitur: e. g., animal habet has differentias, animatum, sensibile, rationale, irrationale; sed duae priores sunt per quas animal constituitur, animal enim est animatum et sensibile corpus; per alias dividitur. Inter huiusmodi differentias hoc discrimen adnotandum est, quod differentiae *constitutivae* generis omnes participantur a singulis speciebus illius generis; *divisivae* vero non omnes, sed aliquae ab una specie, aliquae ab alia, e. g., rationale ab homine, irrationale a bruto; unde fit, ut, quando unum genus sub altero ponitur, inferius participet omnes differentias *constitutivas* superioris generis, non tamen omnes *divisivas*; uti animal participat omnes differentias *constitutivas* viventis, scilicet corporeum, animatum, unam autem *divisivam*, scilicet sensibile; vivens enim dividitur per sensibile, et insensibile, animal autem est sensibile.

XIII. DIRECTE — INDIRECTE. 1° *Directe* intenditur a scientia, vel ab actione aliqua illud, quod primo et per se, seu ratione sui spectatur. *Indirecte*, illud, quod tantum ratione alterius, et quasi *per accidens*. Sic Theologia *directe* agit de Deo; de creaturis vero *indirecte*,

<sup>1</sup> 3, q. XVII, a. 1 ad 7.

quatenus ad Deum referuntur. Sic etiam qui violentas manus sibi infert, *directe*; qui autem se mero ingurgitat, *indirecte* est causa suae mortis. Quinimmo potest aliquis effectus *indirecte* procedere ab aliquo, ex hoc ipso quod non agit. Ita submersio navis dicitur *indirecte* procedere a gubernatore, quatenus desistit a gubernando. Ubi monendum est cum s. Thoma non semper id, quod sequitur defectum actionis, reduci, sicut in causam, in agens, eo quod non agit, sed tunc solum, cum potest, et debet agere: si enim gubernator non posset navem dirigere, vel non esset ei commissa gubernatio navis, vitio ei non verteretur submersio navis, quae per absentiam gubernatoris contingeret <sup>1</sup>. 2° *Directe* aliquid in enunciatione praedicari dicitur, quando vel praedicatur superius de suo inferiori in eadem linea; puta, homo est animal: vel differentia de sua specie, ut homo est ratione praeditus; vel accidens de substantia nomine adiectivo; e. g., homo est albus. Si uno ex his tribus modis invertatur praedicatio, vocatur indirecta; e. g., animal est homo, etc. 3° *Directe* ad aliquid praedicamentum spectare illud dicitur, quod omnibus pollet conditionibus requisitis, ut ad illud possit per se spectare. *Indirecte*, vel *reductive*, quod tantum ratione cuiusdam respectus ad ipsum praedicamentum refertur. Ita homo *directe* pertinet ad *praedicamentum* substantiae; caput vero, manus etc. *indirecte*, quia sunt partes corporis, quod pertinet ad praedicamentum substantiae; id quod de omnibus partibus dicendum est, quae, cum *non participant complete naturam alicuius speciei, non sunt in aliquo genere, vel in aliqua specie, nisi per reductionem* <sup>2</sup>, seu non ordinantur in praedicamento, nisi in ordine ad totum <sup>3</sup>. Item, ad praedicamentum qualitatis *reductive* spectant tenebrae, caecitas, surditas etc., quia ad illud *directe* spectant formae, quae per has privationes tolluntur <sup>4</sup>. Atque generatim « opposita reducuntur ad idem

<sup>1</sup> 1<sup>o</sup> 2<sup>o</sup>, q. VI, a. 3 c. Vid. vox *Voluntarium*. « Dicimur facere aliquid, cum esse facimus rem; et cum facere possumus, ut non sit, et non facimus »; s. Anselm., *De casu diaboli*, c. 18.

<sup>2</sup> *Qq. dispp.*, q. un. *De Anim.*, a. 1 c.

<sup>3</sup> I, q. III, a. 5 c. Vid. s. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XXIV, p. 1, a. I, q. 1 *ad arg.*

<sup>4</sup> *In lib. III Sent.*, Dist. II, q. II, a. 1 *sol.* 3 ad 5. « Et omnino



genus, in quo vel utrumque est per se, ut patet in contrariis, et relativis; vel unum est per se, et alterum per reductionem, ut patet in privatione et habitu, et affirmatione et negatione <sup>1</sup> ». 4<sup>o</sup> *Directe*, vel *ostensive* aliquid demonstratur, cum ex connexione, quam cum alio vero habet, deducitur. *Indirecte*, cum aliquid ex eo evincitur, quod contrarium admitti nequit, quin aliquid absurdum, vel impossibile inde sequatur. Haec altera demonstratio appellari nobis *apogogica*, sive *per absurdum*. 5<sup>o</sup> *Directe*, vel *indirecte* syllogismi imperfecti ad perfectos reduci possunt <sup>2</sup>.

XIV. DIRECTE—REFLEXE. *Directe*, seu *actu directo*, vel *actu exercito* affirmari dicitur id, quod de re, uti est a parte ipsius rei, affirmatur; ut, homo est beatitudinis capax. *Reflexe*, seu *actu reflexo*, vel *actu signato*, id, quod de re, prout a nobis concepta est, affirmatur; v. g., homo, ut abstrahitur a singularibus, est species. Item, *directe* aliqua res cognoscitur, cum circa ipsam rem nostra cognitio versatur; *reflexe* autem, cum cognitio supra ipsam rei cognitionem prius habitam exercetur. Ita *directe* ex discursu cognosco aerem esse gravem; *reflexe*, si me ad huiusmodi cognitionem convertens, dicam, verum est aerem esse gravem. Item, *directe*, seu *in actu exercito* cognosco aliquid verum, si illud cognoscitur *in se, conforme cognito*; *in actu signato* autem si cognitio *terminatur ad relationem conformitatis* <sup>3</sup>; ita ut cognoscam ipsam meam cognitionem consentaneam esse rei, prout in se est.

XV. DISPOSITIONES PRAEVIÆ—CONCOMITANTES. *Dispositiones praeviae* sunt quae praeparant materiam ad recipiendam formam; e. g., antequam fiat ignis ex ligno, praecedat calor disponens lignum ad formam ignis. Ex iis ultima necessario cum ipsa forma connectitur; ex quo fit, ut « eiusdem sit formam aliquam inducere, et materiam de proximo praeparare ad formam <sup>4</sup> ». Hanc ob rationem

nullum praedicamenti genus est, secundum quod aere volumus, nisi ut secundum idipsum praedicamentum negare convincamur, si praepone re particulam negativam voluerimus »; s. Aug., *De lib. arb.*, lib. V. c. 8.

<sup>1</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. XXXV, q. I, a. 3 ad 1.

<sup>2</sup> Vid. Caiet. *In I P.* q. XVI, a. 2.

<sup>3</sup> Vid. *Ostensive*, litt. O.

<sup>4</sup> *In lib. IV Sent.* Dist. XXIV, q. II, a. 3 sol.

infusio animae rationalis in corpore est quodammodo a generante, quatenus ab eo disponitur corpus, ut ab anima rationali informari possit. *Dispositiones concomitantes* sunt quae materiam reddunt aptam ad hoc, ut formam retineat. Sic in homine tamdiu perseverat anima in corpore, quamdiu corpus est dispositum ad recipiendam vitam; et cum per morbum tolluntur hae dispositiones a corpore, statim anima ab ipso separatur.

XVI. DISTINCTIO—PARTITIO—DIVISIO. *Divisio* proprie est generis in species per oppositas differentias distributio, ut, animalium aliud est rationale, aliud irrationale. *Proprie* diximus, nam potest fieri etiam divisio subiecti in accidentia, e. g., si dicamus: animalium aliud mansuetum est, aliud ferum; vel accidentis in subiecta, puta, bona alia sunt animi, alia corporis. *Partitio* vero est distributio totius in partes, ex quibus ipsum re ipsa componitur; e. g., corporis in sua membra, vel manus in carpum, palmam, et digitos <sup>1</sup>. *Distinctio*, prout hic accipitur, est, cum vox aequivoca, et quae vim multiplicem habet, in significationes suas resolvitur; ut, cum dicimus, canem aut animal quadrupes latrans esse, aut piscem marinum, aut sidus coeleste.

XVII. DISTRIBUTIO ABSOLUTA—ACCOMMODA <sup>2</sup>.

XVIII. DIVERSITAS LOGICA—DIVERSITAS PHYSICA. *Logica diversitas* habetur in terminis enunciationum affirmantium, qui licet a parte rei non differant, tamen non eodem conceptu apprehenduntur. Haec diversitas facile perspicitur, si notiones in abstracto, et *reduplicative* <sup>3</sup> acceptae de se invicem negentur. Ita in terminis huius enunciationis, Ens a se est sapiens, *logica diversitas* adest; nam recte dicitur, *Aseitias, quatenus aseitias, non est sapientia*. *Physica diversitas* obtinet in terminis enunciationum negantium, prout de illis recte dici potest, *haec res non est illa*; ut, homo non est lapis.

<sup>1</sup> « Ex divisionibus autem una quidem dividit rem divisam in species, ut genus: altera autem in partes, ut totum: alia vero in accidentia. Atque totius quidem in partes divisio ut plurimum consideratur in magnitudine; quae fit autem in accidentia, numquam potest tota explicari, siquidem oportet unicuique entium omnino in esse essentiam »; Clem. Alex., *Strom.*, lib. VIII, n. 6.

<sup>2</sup> Vid. p. 2.—<sup>3</sup> Quid haec vox significet, explicabitur litt. R.



XIX. DIVERSO RESPECTU — EODEM RESPECTU. 1<sup>o</sup> *Diverso respectu* aliquid sumitur, cum diverso modo, vel secundum diversas partes; *eodem respectu*, cum uno tantum modo, vel secundum unam partem consideratur. Ita *eodem respectu* nemo potest esse bonus, et malus; sed id *diverso respectu* non repugnat, nam potest aliquis esse bonus, quatenus est creatura Dei; malus, quatenus est peccator; item *diverso respectu*, nempe secundum diversas partes, in Aethyope est albor, et nigror, albor nempe in dentibus, nigror in cute. 2<sup>o</sup> *Eodem respectu* accipiuntur termini *univoci*; *diverso respectu*, *aequivoci*, et *analogi* <sup>1</sup>.

XX. DIVISIM — CONIUNCTIM. Idem valent ac *Distributive* — *Collective* <sup>2</sup>.

## D

## EFFATA

I. DANS FORMAM DAT OMNIA CONSEQUENTIA FORMAM. Nempe, dat omnia, quae necessario consequuntur formam, seu quae ad essentialem perfectionem formae requiruntur <sup>3</sup>, siquidem propter naturalem connexionem actio, qua producitur aliqua res, determinatur ad omnia, quae cum illa connectuntur; v. g., qui producit ignem, per eandem actionem calorem et siccitatem producit. Vel, dat omnia etiam, quae ad perfectionem accidentalem spectant, non quidem semper *formaliter*, sed vel *formaliter*, vel *virtualiter*; e. g., Deus creans formam intellectivam, quae acquirendi scientiam virtute pollet, virtualiter dat nobis scientiam.

II. DEFINITIO DICIT ESSE, *idest*, DEFINITIO DECLARAT QUID SIT RES DEFINITA. Quare ipsa non rei existentiam, sed essentiam explicat: Essentia proprie est id, quod significatur per definitionem <sup>4</sup>; idque tantum *expositive* <sup>5</sup>; ut,

<sup>1</sup> Vid. p. 14. — <sup>2</sup> Vid. p. 65.

<sup>3</sup> « Substantiam consequentia sive accidentia consequuntur »; s. Justin., *Aristot. dogm. eversio*, n. II.

<sup>4</sup> I, q. XXIX, a. 2 ad 3. « Omnis definitio est oratio, quae quilibet id, quod definitur, explicat »; s. Cyrill. Alex., *Thesaurus*, Assertio XXXI.

<sup>5</sup> « Definitio debet rei essentiam exponere »; Clem. Alex., *Strom.*, lib. VIII, n. 8.

*animal rationale* explicat, quid sit *homo*; non vero *copulative*, seu per nexum, cum hoc sit enunciationis, quae copulat praedicatum cum subiecto. Ex hoc theoremate consequitur, modum, quo definiuntur privationes et negationes, esse *incompletissimum*, quia est « quasi exponens nominis significationem, non essentiam indicans, quam nullam habet <sup>1</sup> ».

III. DEFINITIONES DIVERSAE SUNT, SI RES SINT DIVERSAE, seu, UNIUS REI UNICA EST DEFINITIO. Cuius effati ratio est, quod definitio rei essentiam exprimit; quapropter, cum quaelibet res unicam essentiam habeat, unius rei non nisi una definitio esse potest, et, cum res sint aliae ab aliis diversae, eo quod diversas essentias habent, diversarum rerum diversae sint definitiones oportet. Adnotandum autem est 1<sup>o</sup> unius rei unicam esse definitionem, si uno eodemque modo consideretur: si enim eadem res diverso modo inspicatur, plurium definitionum ea capax est, non quod per has assignantur plures illius rei essentiae diversae, sed quod diversa eius essentialia officia declarantur. Quare illud effatum a s. Thoma ita explicatur: « Dicendum, quod si inveniretur aliqua diffinitio, quae diceret esse rei secundum comparisonem ad omnes causas ipsius proprias, esset perfectissima, et una tantum <sup>2</sup>, sed inveniuntur diffinitiones notificantes esse rei plures secundum diversas causas. Unde aliqua datur per causam finalem, quaedam per formalem, et sic de aliis. Inveniuntur etiam aliae notificationes sumtae ex proprietatibus consequentibus esse rei, et tales etiam possunt esse plures <sup>3</sup> ». 2<sup>o</sup> Unius rei posse duas definitiones assignari, alteram *physicam*, nempe ex materia et forma; alteram *metaphysicam*, *idest* ex genere et differentia; verum has unam et eandem reapse esse, et plures spectari solum ex modo, quo illae traduntur.

<sup>1</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. XXXV, q. I, a. 2 ad 1.

<sup>2</sup> Huiusmodi est definitio virtutis infusae, quam s. Augustinus tradidit iis verbis: « Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, et qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur »; vid. s. Thom., *In lib. II Sent.*, Dist. XXVII, q. I, a. 2 *sol.*

<sup>3</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. I, *Expos. text.* Huiusmodi, e. g., sunt definitiones virtutis, *Habitus electivus in medio consistens*, et, *dispositio perfecti ad optimum*, etc. Vid. eundem s. Thom., *In lib. II Sent.*, loc. cit. ad 9.



IV. QUORUM DEFINITIONES SUNT DIVERSAE, EORUM FORMA DIVERSA EST. Nempe, si definitiones explicent res, prout in se sunt; non vero, si eas explicent, prout a nobis cognoscuntur. Hinc diversae definitiones attributorum Dei, e. g., iustitiae et misericordiae, diversitatem eorum in ipso Deo minime arguunt; nam illae definitiones non explicant ea attributa, prout in Deo sunt; sed prout a nobis, qui omnia simul attributa Dei cognoscere non possumus, separatim concipiuntur.

V. DENOMINATIO FIT A PARTE POTIORI. Hinc, e. g., Aethyops non denominatur albus ab albis dentibus. At si quod accidens subiecti certam sibi vindicet partem, potest ab eo fieri denominatio. Ita dicitur aliquis crispus a crispitudine capillorum, quia *h* soli sunt adaequatum crispitudinis subiectum<sup>1</sup>. Insuper, denominatio fit a potiori, dummodo id, quod perfectius est, non dicat negationem alterius, quod in re denominata invenitur. Hoc a s. Bonaventura adnotatum fuit, ubi inquit: « Denominatio debet fieri a digniori, dicendum quod non est verum, nisi in eo, in quo illud, quod minus dignum est, conformatur digniori<sup>2</sup> ». Hinc quamvis anima hominis sit spiritalis; homo tamen non dicitur spiritalis, quia spirituale nullatenus materia constat. Itaque « denominatio, inquit idem sanctus Doctor, debet fieri a digniori; dicendum, quod verum est, nisi alia ratio interveniat<sup>3</sup> ». Item, « totum copulatum, quia destruitur destructione cuiuslibet partis, habet denominationem a parte imperfectiori. Unde, si una pars copulationis est falsa, totum copulatum dicitur falsum; si una contingens, totum iudicatur contingens; si una temporalis, et totum temporale<sup>4</sup> ».

VI. DENOMINATIO FIT AB ACTU. Id verum est, sive hic actus sit internus rei denominatae; ut ignis dicitur calidus a calore, qui in ipso est, et intellectus dicitur intelligens ab intellectione etc.; sive externus, ut paries dicitur cognitus a cognitione, quae non est in ipso pariete, sed in cognoscente. Quare hoc effatum ab Aquinate expli-

<sup>1</sup> Vid. s. Thom., 3, q. XVI, a. 8 c.

<sup>2</sup> In lib. I Sent., Dist. XIV, a. I, q. I ad arg.

<sup>3</sup> In lib. III Sent., Dist. II, a. II, q. 2 ad arg.

<sup>4</sup> In lib. I Sent., loc. cit.

catur hunc in modum: « Illud, a quo aliquid denominatur, non oportet quod sit semper forma secundum rei naturam; sed sufficit quod significetur per modum formae grammaticae loquendo. Denominatur enim homo ab actione, et ab indumento, et ab aliis huiusmodi, quae realiter non sunt formae<sup>1</sup> ».

VII. DEUS, ET NATURA NIHIL FACIUNT FRUSTRA<sup>2</sup>. Etenim frustra est id, quod finem, cui ordinatur, non attingit; infinitae autem Dei sapientiae omnino repugnat aliquid frustra in Eius operibus esse<sup>3</sup>. Idem dicatur de natura, quae est ratio artis divinae indita rebus, qua moventur ad suos fines. Hinc quamvis nobis aliqua superflua, imo vitiosa appareant, haec tamen ipsa ad certum finem ordinantur<sup>4</sup>.

VIII. DEUS IN UNOQUOQUE OPERATUR SECUNDUM EIUS PROPRIETATEM. Deus enim, qui est institutor naturae, non subtrahit rebus, quod est proprium naturis earum<sup>5</sup>. Hinc Deus, qui est prima causa, cum causis naturalibus concurrens, non aufert, quin actus earum sint naturales; itemque concurrens cum causis voluntariis, « non aufert, quin actiones earum sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit<sup>6</sup> ».

IX. DICI DE OMNI—DICI DE NULO; seu, DICTUM DE OMNI, et DICTUM DE NULO. Haec sunt principia syllogismorum universalissima. Primum regit syllogismos aientes, eiusque sensus est: *Quidquid dicitur universim de aliquo subiecto, affirmatur de quovis contento sub illo*. Scilicet: Omne illud, quod affirmatur de aliqua re universaliter et distributive<sup>1</sup> accepta, illud ipsum affirmandum est de omnibus, quae huic rei subiiciuntur, et de quibus haec res affirmari potest. V. g., in hac propositione, Omnis homo est rationalis, affirmatur *rationalis* de homine universaliter et distributive sumto; hinc idem *rationalis* affirmandum est de Petro, quia Petrus *homini* subiicitur, et *homo*, de

<sup>1</sup> *Qq. disp., de Pot., a. 10 ad 8.*

<sup>2</sup> « Eorum ipsorum, quae frustra gignuntur, Deus conditor non est, neque natura »; s. Iustin., *Aristot. dogm. eversio*, n. XLIX.

<sup>3</sup> « Neque enim a Deo quicquam temere atque incassum factum est »; s. Greg. Naz., *Orat. XXXIII.* — <sup>4</sup> Vid. *Finis movet efficientem.*

<sup>5</sup> *Contr. Gent., lib. II, c. 53.* — <sup>6</sup> I, q. LXXXIII, a. 1 ad 3.

<sup>7</sup> Vid. p. 63.



quo *rationale* affirmatum erat, affirmatur de Petro. *Dictum de nullo* est fundamentum syllogismorum negantium, atque contrarium sensum involvit, qui sic explicatur: *Quidquid negatur de aliquo universaliter accepto, negatur de omnibus de quibus illud alterum affirmatur.* Scilicet: Quod alicui rei universaliter et distributive sumtae attribui non potest, ne potest quidem attribui illi, quod sub illa re comprehenditur, seu de quo illa res affirmatur; v. g., si certo scis nullum hominem esse quadrupedem, sponte tua colliges neque Catonem, neque Caesarem, nec alium quemquam hominem quadrupedem esse: Item, si quis, quantumvis rusticus, vineam suam grandine verberatam videat, statim vel invitus exclamat; non frugiferam eo anno fore, eo quod perspicue et evidenter sentiat vim huius conclusionis: Nulla vinea grandine verberata frugifera est, mea est grandine verberata; non est igitur frugifera.

X. DIFFERENTIA GENUS DIVIDIT, ET SPECIEM CONSTITUIT. Hoc est: Differentia dividit genus, non quidem ita, ut eius complexum in partes dividat, sed ita ut illius ambitum diversis modis determinet, unde genus in species sibi subiectas quasi secatur. Ita *rationale* secat animal in hominem et brutum. Speciem constituit; quia differentia est pars rei maxime propria, quae partem communem contrahit instar *formae*, et in certam naturam compellit. Nam genus, e. g., animal, est veluti materia vaga et communis, quae per *rationem* coercetur, unde homo extat.

XI. DIFFERENTIA EST NOBILIOR GENERE. Ratio est, quia eo ipso, quod differentia contrahit genus, quod ex sese indifferens est ad quamlibet speciem, illud perficit, ac proinde nobilius reddit. Ex quo patet differentiam esse nobiliorem genere, ut perficiens nobilius est eo, quod perfici potest, sive ut proprium communi, atque ut actus potentia. Non autem ipsa est nobilior genere, ut alia, et alia natura; siquidem differentia nullam habet formam, quae implicite in genere non contineatur<sup>1</sup>. Hinc fieri potest ut differentia, per quam aliquid constituitur in specie, non pertineat ad nobiliorem naturam, ac genus. Ita diversi gradus, ex quibus natura sensitiva in speciebus a-

<sup>1</sup> In lib. II Sent. Dist. III, q. I, a. 6 ad 1.

nimalium irrationalium determinatur, non sunt alterius naturae nobilioris supra naturam sensitivam, quae est nobilissima in eis<sup>1</sup>.

XII. DIFFERENTIAE NON RECIPIUNT MAGIS ET MINUS: NON INTENDUNTUR, AUT REMITTUNTUR. Sensus est: Uniuscuiusque speciei differentiae in se consideratae aequae sunt perfecte essentialiter in singulis inferioribus. Nam *rationale*, v. g., in uno homine tam est perfectum, quam in alio, quia omnes homines sunt eiusdem speciei, cum habeant eadem praedicata essentialia. Neque dicas unum hominem alio perfectius ratiocinari, ideoque unum esse magis *rationalem*, quam alium<sup>2</sup>. Nam *rationale* non tam significat ratione uti, quam rationem habere, seu anima rationali esse praeditum; id quod aequaliter omnibus convenit, qui hominis nomine censentur. Hinc s. Thomas: « Nec etiam in diversis individuis participatur species substantiae secundum magis et minus<sup>3</sup> ».

XIII. DISPOSITIO ET HABITUS IN EADEM POTENTIA HABENT FIERI<sup>4</sup>.

XIV. DISPOSITIO FIT HABITUS. Nempe, dispositio, quae fit habitus, est sicut imperfectum ad perfectum in eodem genere; huiusmodi enim dispositio potest fieri illud, ad quod disponit, nempe habitus<sup>5</sup>, aequae ac calor imperfectus fit calor perfectus. Unde imperfecta scientia, dum perficitur, fit habitus. Quod si dispositio sit alterius generis, numquam contingit, ut fiat habitus, aequae ac calor imperfectus, quantumcumque excrescat, numquam fit forma substantialis ignis<sup>6</sup>.

Inde s. Thomas infert peccatum veniale, etsi sit dispositio ad mortale, non posse fieri mortale, quia « non est dispositio ad mortale, sicut ad terminum eiusdem generis, sed alterius<sup>7</sup> ».

XV. DISTINCTIONI NON OPPERITUR UNIO. Quae enim unita simul sunt, adhuc ita se habent, ut unum non sit

<sup>1</sup> Qq. dispp., q. un. De Sp. cr., a. 7 ad 9. Vid. I, q. L, a. 4 ad 1.

<sup>2</sup> « Homo non est homine maior quatenus est homo »; Clem. Alex., Strom. lib. II, n. 16.

<sup>3</sup> I, q. XCIII, a. 3 ad 3.—<sup>4</sup> Vid. litt. H.

<sup>5</sup> Vid. s. Thom., 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. LXXXVIII, a. 4 ad 4.

<sup>6</sup> In lib. II Sent., Dist. XXIV, q. III, a. 6 ad 6.—<sup>7</sup> Ibid.



aliud. Ita, anima non est corpus, licet corpori sit copulata. Immo tantum abest, ut unio adversetur distinctioni, quin potius distinctionem requirat; siquidem non datur unio, nisi distincta a se mutuo sint, quae unita dicuntur. Hinc s. Thomas: « Unum non est remotivum multitudinis, sed divisionis. Multitudo autem non removet unitatem, sed removet divisionem circa unumquodque eorum, ex quibus constat multitudo <sup>1</sup> ».

XVI. DIVERSITAS NON TOLLIT UNIVOCATIONEM. Hoc effectum veritate gaudet, si sermo sit de differentiis superadditis communi rationi generis; non item, si de diversitate, quae sit in ipsa communi ratione. E. g., differentiae *rationalis* et *irrationalis* non impediunt, quominus *animal* de homine et bruto univoce praedicatur: « Diversa ratio minus communium non facit aequivocationem in magis communi; licet enim sit alia propria definitio equi et asini, tamen univocantur in nomine animalis, quia communis definitio animalis convenit utrique <sup>2</sup> ». E contrario, de Deo, et creatura non potest univoce praedicari *substantia*, nam, cum diversissimum subsistendi modum habeant, in ipsa communi ratione *substantiae* differunt. Rursus, *univocatio* non tollitur ex diversitate suppositorum. E. g., hoc nomen *homo* non sumitur *aequivoce* ex eo, quod quandoque de Platone, quandoque de Sorte praedicatur; aequivocatio enim inducitur ex diversa forma, seu essentia significata per nomen <sup>3</sup>, non autem ex diversitate *suppositionis*.

Ex hoc effato s. Thomas infert nomen *homo* non praedicari *aequivoce* de Christo, et de aliis hominibus: « Hoc nomen *homo* de Christo, et de aliis hominibus dictum semper eandem formam significat, scilicet naturam humanam, unde univoce praedicatur de eis; sed suppositio tantum variatur in hoc, quod secundum quod pro Christo sumitur, supponit hypostasim increatam, secundum vero, quod pro aliis sumitur, supponit hypostasim creatam <sup>4</sup> ».

XVII. DIVISIBILITAS EST PASSIO QUANTITATIS. Nempe, divisibilitas in partes integrales eiusdem rationis, quarum quaelibet sine reliqua, diviso toto, ex se esse potest, est

<sup>1</sup> I, q. XXX, a. 3 ad 3. — <sup>2</sup> I, q. XXIX, a. 4 ad 4.

<sup>3</sup> V d. p. 14. — <sup>4</sup> *Con'r. Gent.*, lib. IV, c. 49.

proprietas, quae *primo* et *essentialiter* pertinet ad quantitatem. *Primo* quidem, cuicumque enim illa convenit, ratione quantitatis ipsi convenit, siquidem ipsa materia, si absolute spectetur, indivisa est, et non nisi a *quantitate* habet, quod dividatur <sup>1</sup>; unde, « separata quantitate a substantia, remanet indivisibilis <sup>2</sup> ». *Essentialiter*, nam « ipsa ratio quantitatis in divisibilitate consistit; unde ratio quantitatis invenitur proprie in illis, quae per se dividuntur <sup>3</sup> ».

## E

## DISTINCTIONES

I. ELICITUS — IMPERATUS <sup>4</sup>.

II. ENS NATURAE — ENS RATIONIS. *Ens naturae* vocatur illud quod actu, vel potentia existit extra mentem; e. g., homo, lapis. « *Ens rationis*, ut inquit Scotus, est aliquid praecise habens esse in intellectu considerante <sup>5</sup> », nempe, quod non nisi in intellectu cogitante esse potest: siquidem « ens rationis, cum in re nihil ponat, et in se non sit ens, formatur tamen, seu apprehenditur a ratione <sup>6</sup> »; nempe, tunc efficitur ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non est, et ideo fingit illud, ac si esset ens. Quocirca *ens rationis* ita appellatur, non quia a ratione efficitur, sicuti sunt opera artis, quae per rationem excogitantur; neque tantum quia est in ipsa sicut in subiecto; ea enim, quae his modis a ratione pendent, sunt entia realia; sed quia *esse* eius non est nisi in cognitione, seu in ratione, quae illud ad modum entis cognoscit. Iam hoc ens vel habet aliquod fundamentum in re; cuiusmodi sunt ea, quae consequuntur ex modo intelligendi rem aliquam naturae, e. g. *homo* consideratus non secundum se, sed secundum quod dicitur *species*; vel nullum fundamentum in re habet, e. g., *chi-*

<sup>1</sup> *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1, sol. 3 ad 3.

<sup>2</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. I, a. 4 sol.

<sup>3</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. I, a. 1 ad 1.

<sup>4</sup> Vid. *Actus elicitus — Imperatus*, p. 12.

<sup>5</sup> *Quodlib.*, q. III. — <sup>6</sup> Vid. s. Thom., I, q. XVI, a. 3 ad 2.